

ma sit. Si quis non confitetur carni secundum substantiam vnitum Dei Patris II.
 Verbum vnumque esse Christum cum propria carne eundem scilicet Deum
 simul et hominem, anathema sit. Si quis in vno Christo diuidit substantias III.
 post vnitatem sola eas connexionem coniungens ea, quae secundum carnis dig-
 5 nitatem sit vel etiam auctoritatem et potestatem ac non potius conuentu, qui
 per vnitatem factus est naturalem, anathema sit. Si quis in personis duabus III.
 vel subsistentijs eas voces, quae in apostolicis scriptis continentur et euange-
 licis diuidit vel quae de Christo dicuntur a sanctis vel ab ipso et aliquas qui-
 dem ex his velut homini, qui [104:] praeter Dei Verbum specialiter intelliga-
 10 tur, aptauerit illas autem tanquam dignas Deo soli Dei Patris Verbo deputa-
 uerit, anathema sit. Si quis audeat dicere hominem Christum theophoron, id V.
 est deiferum ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam Filium per
 naturam secundum quod Verbum caro factum est et communicauit similiter
 vt nos carni et sanguini, anathema sit. Si quis dicit Deum esse vel dominum VI.
 15 Christum Dei Patris verbum et non magis eundem ipsum confitetur Deum
 simul et hominem propterea quod Verbum caro factum est secundum scrip-
 turas, anathema sit. Si quis velut hominem Iesum operante Deo Verbo dicit VII.
 adiutum et vnigeniti gloriam tanquam alteri praeter ipsum existenti tribuit,
 anathema sit. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo VIII.
 20 verbo et conglorificandum et connuncupandum Deum tanquam alterum cum
 altero – nam ‚con‘ syllaba super adiecta haec cogit intelligi – ac non potius
 vna supplicatione veneratur Emanuel vnamque ei glorificationem dependit
 iuxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.ⁱ Si quis vnum dominum IX.
 Iesum Christum glorificatum dicit a Spiritu sancto tanquam, qui aliena vir-
 25 tute per eum vsus fuerit, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiri-
 tus posse et coram hominibus diuina signa perficere ac non potius proprium
 fatetur eius spiritum, per quem diuina signa expleuit, anathema sit. Pontifi- X.
 cem et apostolum confessionis nostrae fa-[105:]ctum esse Christum diuina
 scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis
 30 Deo et Patri. Si quis ergo pontificem et apostolum nostrum dicit factum
 non ipsum Dei verbum, quando caro factum est, et homo iuxta nos homines,
 sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere aut qui dicit,
 quod pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis –
 non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nesciuit –, anathema sit. Si XI.
 35 quis non confitetur carnem domini viuificatricem esse et propriam ipsius ver-
 bi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum coniuncti eidem per dignitatem
 aut quasi diuinam habentis habitationem ac non potius viuificatricem esse,
 quia facta est propria Verbi cuncta viuificare valentis, anathema sit. Si quis XII.
 non confitetur Dei Verbum passum carne et crucifixum carne et mortem car-
 40 ne gustasse factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est et
 viuificator vt Deus, anathema sit.“

ⁱ⁻ⁱ Korrigiert aus „anathema“ nach B.